

19. Objic. Sententia asserens justificari peccatorem per sacramentum penitentiae, cum vera attritione susceptum, est moraliter certa; sed adhibita hac morali certitudine, ad nihil amplius tenetur peccator circa peccatorum detestationem: erg. non tenetur ad contritionem. R. Quod hoc, & alia argumenta satis probabilem reddunt oppositam sententiam. Verum quia ad summum probant non peccare ex hac parte omittentem contritionem; non vero habere omnimodam certitudinem suae justificationis, si forte sacramento defuit aliquid necessarium, vel ob alium defectum occultum, esse liberum a periculo damnationis, & alias habet certius remedium, quod potest applicari, nempe contritio, ideo ad hanc tenetur in illa ultima hora, qua transacta, ad omne remedium clausa est janua.

CAPUT II.

De sacramento penitentiae, ac de ejus materia, & forma.

20. Supposita notitia penitentiae, ut virtutis, progredimur ad ejus discussionem in ratione sacramenti. At quia hujus sacramenti definitio, tum physica, tum metaphysica, jam supra tradita est, tantum de ejus institutione, necessitate, materia, & forma erit sermo in hoc capite.

PUNCTUM I.

De institutione, & necessitate sacramenti penitentiae.

21. Inq. 1. A quo, & quando fuerit institutum hoc sacramentum? R. A Christo Domino fuisse institutum complete post Resurrectionem, quando apparet Apostolis Joan. 20. dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ita Trid. Sess. 14. Can. 1. & 3.

22. Inq. 2. Ex quibus componatur hoc sacramentum? R. Componi ex actibus penitentis, & absolutione ministri legitimi per modum judicii. Unde posita dolorosa accusatio, seu confessio ex parte rei, seu penitentis, tamquam materia, accedit absolutio ex parte Judicis, seu Con-

fessarii, tamquam forma. Quando autem juxta alegata, & probata, id est, juxta accusationem penitentis, ac ejus signa reperit illum absolutione indigum, profert tamquam Judex sententiam contra eum, relinquendo illum peccatis ligatum, ac ei denegando absolutionem.

23. Inq. 3. An hoc sacramentum sit necessarium necessitate medii, vel praecepti? R. Utroque modo esse necessarium in nova lege in re, vel in voto; quia ut dicit concil. Trid. hoc sacramentum est necessarium lapsis post baptismum, sicut ipse baptismus nondum regeneratis; sed baptismus nondum regeneratis est necessarius necessitate medii, & praecepti in re, vel in voto: erg. pariter hoc sacramentum. Sicut enim baptismus est absolute prima tabula, ita hoc sacramentum post peccati naufragium in lege nova est secunda tabula ad salutem necessaria. D. Thom. in *suplem. q. 6. a. 1.*

24. Inq. 4. An votum suscipiendi hoc sacramentum debeat necessario esse explicitum. R. Quod licet sit melius votum explicitum, sufficit tamen implicitum in ipsa contritione. Nam ad tollendum peccatum originale sufficit votum implicitum baptismi inclusum in ipsa contritione; erg. ad delenda peccata post baptismum commissam sufficit votum implicitum penitentiae inclusum in eodem actu contritionis, contritio enim ex se connectitur infallibiliter cum gratia.

25. Inq. 5. Quando obliget praeceptum divinum confessionis? R. Obligare potissimum in articulo mortis existentem in lethali, vel dubium de eo, aut probabiliter de eodem opinantem. Alias exponitur periculo numquam illud consistendi. Unde obligantur puerperae anteprium partum, vel ante alium periculosum, milites ante praelium, dum possint; & quilibet ante longam navigationem. Si autem Sacerdos absit, nulli alteri confiteri debet: peccata quippe graviter, confessionem faciendo Diacono, laico, aut mulieri; quia in praesenti statu daret occasionem suspicandi, quod adhaereat errori Lutheranorum, quem etiam improbatum docet Henricus VIII. ante suam perversionem in opere de *septem sacramentis* contra Lutherum, ut refert Bened. XIV. in *syn. lib. 7. cap. 16. n. 3.*

26. Objic.

Cap. II. De sacramento penitentiae, ac de ejus materia, & forma. 81

26. Objic. In canon. *Qui vult, de poenit. dist. 6.* & in D. Thom. in *4. dist. 17. q. 3. art. 3. quest. 2.* habetur, quod in casu necessitatis, deficiente sacerdote, potest fieri confessio etiam laico: erg. R. Quod olim in necessitate fiebat confessio etiam mulieri in defectu alterius ad majorem penitentis humilationem, ut Deus flecteretur ad ignoscendum; sed seculo XV. obsolevit mos iste, ita ut jam sit graviter illicitus ejus usus. Vide laudat. Bened. XIV. *cap. cit. n. 11.*

27. Inq. 6. Qui obstringantur praecepto divini confessionis? R. Obstringi omnes baptizatos usu rationis compotes, supposito gravi peccato. Nam datur praeceptum divinum recipiendi sacramentum penitentiae per modum judicii, ad quod necessarium requiritur confessio penitentis per modum rei, & accusatoris: igitur obligantur ad illam omnes baptizati post usum rationis in articulo mortis praecepto divino, & saltem semel in anno ex praecepto ecclesiastico. Infideles autem non baptizati, neque humano, neque divino praecepto obstringuntur ad confessionem: quod etiam satis inconsequenter asserit Concina obligando infideles ad communionem, *lib. 3. de Euchar. diss. 1. cap. 9. n. 11.* Et deobligando eos a confessione. *Lib. 1. de poenit. dissert. 4. cap. 2. num. 23. Vid. tract. 35. n. 28.*

28. Inq. 7. An in articulo mortis teneatur confiteri poenitens per interpretem, si aliter non valet? R. Ex D. Thom. *suplem. q. 9. a. 3.* *Quando non possumus uno modo, debemus, secundo quod possumus, confiteri.* Verum tunc sufficit exponere aliqua venialia, & generatim omnia mortalia. Imo si aliter non possit in illo articulo, debet fieri etiam publice confessio modo dicto. Non enim est contra valorem confessionis, quod fiat publice, quidquid alicui in oppositum sine fundamento sentiant. Mutus tenetur in dicto articulo confiteri per nutus. Nullus adstringitur confiteri statim post commissum peccatum, quia nullum adest praeceptum ad id obligans. Unde esto melius esset, non tamen est necessarium. D. Thom. in *Suplem. q. 6. a. 5.* Congruo autem tempore debent confiteri omnia peccata, sive interna, sive externa cum circumstantiis speciem mutantibus, ut fides docet ex concil. trid. ubi contra haereticos

Tom. II.

ita fuit definitum *sess. 14. can. 7.*

PUNCTUM II.

De materia remota sacramenti penitentiae.

29. Inq. 1. Quae sit materia sacramenti penitentiae? R. Esse duplicem: nempe *proximam, & remotam.* Materia proxima sunt actus penitentis, de quibus postea. Materia remota sunt peccata commissa post baptismum, vel in ejus receptione. Haec materia remota etiam est duplex. *Necessaria, & voluntaria.* Materia *necessaria* dicitur, ad quam contentandam quis tenetur. *Voluntaria* est illa, quae, esto sit sufficiens pro constituendo sacramento, tamen sine peccato omitti valet. Igitur materia necessaria remota *circa quam* sunt peccata gravia, commissa post baptismum, vel in ejus receptione, non solum certa, sed etiam dubia, omnia prout sunt in conscientia. Peccata autem ante baptismum perpetrata non subduntur Ecclesiae clavibus, ut docet trid. *sess. 14. cap. 1. & 2.* Nam *quid mihi de his, qui foris sunt judicare?* inquit Apostol. *1. Cor. 5.*

30. Dicuntur peccata materia remota *circa quam*, quia non sunt materia, ex qua fit sacramentum, ut aqua in baptismo, & actus penitentis in hoc sacramento: nec sunt materia, in qua sacramentum recipitur, sed sunt materia, ad quam destruendam tendit sacramentum, sicut medicina ad destruendam infirmitatem; ideo appellatur materia remota *circa quam.* Unde non concurrunt effective instrumentaliter ad causandam gratiam sicut aqua in baptismo; quia nimirum ibi aqua est materia *ex qua*, non vero peccata in penitentia.

31. Objic. Si peccata sunt materia penitentiae, semel absoluta, non poterunt iterum absolvi, sicut panis semel consecratus, nequit iterum consecrari, consequens est falsum: erg. peccata non sunt materia remota penitentiae. R. Negando sequelam, & paritatem: disparitas consistit in eo, quod pro pane iterum consecrando nequit apponi nova materia proxima, sicut apponitur nova confessio cum novo dolore pro peccatis iterum absolvendis.

L

32. Inq.

32. Inq. 2. An peccata pure existimata sint materia necessaria? R. affirm. Quia licet non sint peccata in re, sunt tamen in conscientia, & existimatione: datur ergo obligatio ea confitendi. At non sunt materia sufficiens, idque circo, si sola confiteantur, non fit sacramentum. *Dices:* peccata pure existimata sunt materia virtutis penitentiae, & doloris; ergo etiam sacramenti penitentiae. R. neg. conseq. Disparitas stat in eo, quod materia doloris, & virtutis penitentiae est omne peccatum, siue reale, siue apparens: materia vero sacramenti tantum est peccatum reale, & vere commissum.

33. Inq. 3. Quotplex sit dubium circa confessionem peccatorum? R. Quot est quadruplex. Nempe, dubium facti; dubium qualitatis; dubium speciei; & dubium confessionis. Dubium facti est dubitare, si quis peccavit, vel non. In hoc casu, si alia non apponatur materia, solum sub conditione potest dari absolutio. Dubium qualitatis est, supposita culpa, ignorare, an sit gravis, vel levis. Dubium speciei est, supposita culpa gravi, ignorare contra quam virtutem. Dubium confessionis est scire culpam determinatam, & dubitare, an sit iam confessa. In tribus his casibus datur absolutio absolute, quia adest materia sufficiens certa pro sacramento conficiendo, licet dubitetur de gravitate, specie, aut confessione peccati. Igitur peccata dubia quocumque dubio, confiteri debent, quia omnia peccata gravia aperienda sunt in confessione, prout sunt in conscientia, ut decernit Trid. loc. cit.

34. Inq. 4. An peccata confessa, ut dubia, si postea reperiantur esse certa, debeant iterum confiteri ut certa? R. affirm. Propter eandem rationem; videlicet quia iam sunt certa in conscientia, quae antea erant dubia. *Obije.* 1. Obtinens dispensationem, aut absolutionem a legitimo Superiore de voto, aut censura dubiis, esto postea sciat esse certa, non tenetur aliam dispensationem, aut absolutionem postulare: ergo pariter de peccatis dubiis absolutus, ut talibus? R. neg. conseq. Disparitas consistit in eo, quod Superior dispensat, aut absolvit in voto, aut censura in quantum potest: Confessarius vero solum absolvit directe a pecca-

tis in quantum ei manifestantur. Unde cum solum, ut dubia ei pateant, directe tantum ut dubia absolvit, & solum indirecte, ut certa.

35. *Obije.* 2. Qui confitetur decem peccata plus, minusve, si postea reperiat fuisse undecim, non tenetur fateri undecimum, quod sub dubio confessus fuit: ergo pariter de aliis peccatis dubiis. R. neg. ant. Quia licet communiter AA. illud concedant, desudando non parum in reddenda disparitate, nulla adhuc adequata repta fuit. Igitur non teramus tempus; sed dicamus per doctrinae consequentiam, illud peccatum undecimum, quod revera non est confessum, nisi ut dubium, agnatum postea ut certum, ut certum debet confiteri, sicut caetera confessa ut dubia, & cognita postea ut certa, ut certa confiteri debent.

36. *Obije.* 3. Qui dabit in materia iustitiae, non tenetur restituere: ergo qui dabit in materia penitentiae, vel confessionis, non tenetur confiteri? R. neg. ant. Quia esto plures illud concedant, verius putamus, quod iuxta qualitatem dubii debet aliquid restitui. Sed, admissio antecedenti, adhuc non tenet consequentia; quia dubius de debito temporali nequit restituere absque damno proprio; at dubius de peccato, aut confessione, sine ullo damno, imo cum propria utilitate confiteri valet. Unde & debet; alias detrimentum conscientiae, & periculum damnationis incurrit. Idem est de peccato probabiliter commisso, aut probabiliter confesso, quia utrimque probabile constituit dubium.

PUNCTUM III.

Alia dubia circa eandem materiam remotam.

37. Inq. 1. An consuetudo peccandi sit necessario manifestanda in confessione? R. Quod interrogata a Confessario certum est debere pateferi. Constat ex prop. 58. damnat. ab Innoc. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.* Idem teneas de consuetudine active, & consequenter inspecta, hoc est, quando quis peccat praevidens, quod per repetitionem peccatorum causat consuetudinem, & se exponit periculo

pro.

proximo peccandi; & conservans voluntarie, aut non curans extirpare talem consuetudinem; quia sicut qui voluntarie retinet, vel versatur in occasione proxima peccandi, committit unum peccatum distinctum ab illis, quae procedunt ex tali occasione, necessario aperiendam in confessione, ita qui voluntarie retinet consuetudinem peccandi, committit unum peccatum distinctum ab illis, quae procedunt ex tali consuetudine; quod quidem peccatum fateri debet, alias non fieret integra confessio. Insuper peccata, orta ex consuetudine, indigent diversa medicina, ac illa, quae procedunt ex mera fragilitate. Quae omnia intelligenda sunt de consuetudine gravi: peccata quippe venialia, & eorum consuetudo, non est materia confessionis per se, sed aliquando per accidens. Pro quo.

38. Inq. 2. Quae sit materia voluntaria, & an aliquando transeat in necessariam? R. Quod materia voluntaria confessionis sunt peccata gravia, rite confessa, & absoluta, & omnia peccata certo venialia. Potest fieri necessaria materia, alias voluntaria, per accidens ex triplici capite. Primo, ex vi voti, vel iuramenti: ut si quis vovit, aut iuravit confiteri venialia talis speciei. Secundo, ex suppositione confessionis, ut si quis, nullum habens grave peccatum, vult confiteri, necessario debet fateri saltem aliquod veniale: alias frustraret confessionem. Tertio, ex conscientia erronea, ut si aliquis putaret teneri sub gravi ad confitendum peccata iam rite confessa, deberet illa fateri, alias peccaret graviter ob conscientiam erroneam. Idem est de peccatis commissis ante baptismum, sicut de peccatis pure existimatis dictum est supra. Cum illis autem solis non fieret sacramentum.

39. Inq. 3. An peccata indirecte remissa sint materia necessaria? R. affirm. Tum quia oppositum est damnatum in prop. 11. ab Alex. VII. tum etiam quia non sunt directe subjecta Ecclesiae clavibus. Indirecte remissa dicuntur, quae remittuntur non ex vi absolutionis, sed ex conditione gratiae, quae nequit remittere unum peccatum grave sine aliis. Ideo dum quis, facta prudenti diligentia, rite confitetur, recipit gratiam. Si autem invincibiliter, vel aliqua causa gravi omisit aliquod pecca-

tum grave, hoc dicitur indirecte remissum ex conditione gratiae. Unde cum memoriae occurrit, aut tollitur causa gravis omittendi, debet confiteri. Idem est de peccatis remissis per actum caritatis, vel contritionis, aut per sacramenta vivorum; omnia enim remittuntur sub onere ea confitendi, & subiiciendi legitimo Judici congruo tempore.

40. Inq. 4. An imperfectiones morales sint materia remota confessionis? R. Imperfectiones morales, quae non pertingunt ad culpam saltem venialem, non esse materiam remotam, neque sufficientem sacramenti penitentiae: quia pro materia sufficienti hujus sacramenti requiritur culpa saltem levis. Unde sine fundamento asseritur Beat. Virg. aliquando confessam fuisse Apostolo Joanni, quia absque culpa saltem levi sacramentum consistere nequit. Optime tamen imperfectiones morales subiiciuntur confessioni, quia regulariter committuntur a nobis cum culpa veniali, vel accidia, vel ingratitude, vel defectus debiti finis in actu, vel ex aliis circumstantiis temporis, loci, aut personae. Verum caveant poenitentes, ne sint nimis prolixi in eis confitendis; nam aliter se gerentes onerosum redunt sacramentum sibi, & Confessariis.

41. Curent etiam, qui carent materia gravi praesenti, confiteri, ad assecurandum dolorem, & sacramenti valorem, aliquod peccatum grave praeterita vitae, determinatum in specie, & numero. Numquam enim mihi arrisit assertum quorundam putantium sufficere tunc pro materia peccatum grave in genere; quia sicut ad consecrandum requiritur materia determinata; ita dum fieri valet, ad absolutionem. Ponatur igitur primum, aut ultimum peccatum grave talis speciei; vel omnia in tali specie commissa. Idem est, si apponatur peccatum veniale vitae ante actum pro materia, dummodo fiat cum vero dolore, & proposito. Optandum esset ut Parochi, & patres familiae suis respective ovibus, & subditis hanc doctrinam exacte proponerent, ut ea instructi omnes accederent ad poenitentiae sacramentum cum debitis, & necessariis dispositionibus. Monere etiam vellem Parochos, quod instruerent suas oves, ut per se ipsas panderent sua peccata, ita enim labore unius,

L2

vel

vel duorum annorum gaudebunt deinceps magno levamine, excusando molestiam eas perscrutandi, & interrogandi.

PUNCTUM IV.

De materia proxima penitentia.

42. Inq. 1. Quæ sit materia proxima hujus sacramenti? R. esse actus penitentis: nempe *cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio*. Per *ly cordis contritio* intelligitur contritio, sive perfecta, sive attritio supernaturalis, sive cognita ut talis, sive existimata contritio: quia penitentia est sacramentum mortuorum, ad quod non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio supernaturalis.

43. Inq. 2. An sufficiat attritio naturalis honesta ad confessionem? R. neg. constat ex propos. 57. damnata ab Innoc. XI. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam*. Igitur attritio ad valorem hujus sacramenti debet esse entitative supernaturalis; tum quia concil. trid. dicit eam esse *donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus*; tum quia procedit ab auxilio supernaturali, habet motivum supernaturale, ut superius est indicatum; tum quia est dispositio ad gratiam, & dispositio, & forma debent esse ejusdem ordinis.

44. Inq. 3. Quomodo requiratur dolor supernaturalis ad recipiendum hoc sacramentum, & quomodo ad alia suscipienda? R. ad hoc sacramentum requiri necessitate sacramenti, seu ad *validum*; ad alia vero tantum necessitate præcepti, seu ad *licitum*. Quoniam in hoc sacramento non solum est dispositio dolor, sed etiam materia proxima; in aliis autem solum est dispositio ad eorum fructum, seu gratiam obtinendam. Unde absque vero dolore non datur hoc sacramentum, sive confessio fiat de peccatis gravibus, sive tantum de venialibus. Igitur quando penitens solum habet venialia, & nunquam graviter deliquit, debet formare dolorem specialius de aliquo veniali, quod rarius committit, quia facilius potest hoc fieri, quam de venialibus in generali, & ita etiam securius dispensatur absolutio.

45. Inq. 4. An sufficiat dolor virtualis ad hoc sacramentum? R. Quod sufficit dolor

virtualis ortus a formali; nam etiam intentio virtualis profluens a formali sufficit ad conficienda sacramenta. Verum non est admittendum permanere dolorem de peccatis gravibus virtualiter, donec aliud grave perpetretur: quia valet non committi per mensem, aut amplius, quo spatio, neque minor minime perseverat virtualiter dolor. Verum est dolorem formalem de peccato gravi non retractari, nisi per commissionem alterius peccati gravis; sed verum non est perseverare virtualiter tanto tempore, nec sufficere ad sacramentum. Talis enim dolor diutinus ad summum erit habitualis, ac perinde insufficientis pro hoc sacramento. Dolor nocte præcedenti conceptus potest dici perseverare virtualiter usque ad diem immediatum, ita ut moraliter sit præsens absolutio. Dolor de venialibus si formetur ob motivum generale offensæ Dei, retractatur per quodlibet aliud veniale; si vero concipiatur ob motivum particulare talis speciei, non retractatur, nisi admittendo veniale aliquod in illa specie. Sed aliud est non retractari, aliud perseverare virtualiter, ut ex se patet.

46. Inq. 5. An dolor debeat præcedere confessionem? R. Esse melius & securius, quod præcedat; imo debet concipi in ordine ad confessionem, ut fit regulariter. Si autem non præcessit, per gemitus, inclinationem corporis, & ictus pectoris relati ad confessionem, ut solet fieri, redditur confessio dolorosa. Nec metaphysice hoc negotium est accipiendum, dummodo verum dolorem exprimat penitens ante absolutionem, quod omnino est necessarium, excepto in aliquo casu de quo postea. Advertere oportet obiter pro timoratis, quod semper, ac eliciunt actus doloris, ordinent eos ad primam absolutionem, ut si forte aliquo accidenti nequeant illam petere, deserviat hæc directio pro petitione, vel sint ad eam ordinati. Hoc est consilii tantum.

PUNCTUM V.

Alia dubia circa dolorem.

47. Inq. 1. An dolor de peccatis debeat esse universalis, & efficacax? R. affirm. Nam loquendo de peccatis gravibus saltem ad

cr-

sacramentum fructuosum, dolor debet universaliter extendi ad omnia peccata gravia sive cognita, sive non cognita; omnia enim conveniunt in ratione universali offensæ divinæ, ad quam compensandam tendit dolor. Unde dolor de peccatis gravibus debet esse universalis ex suo conceptu formali. Dolor autem de venialibus non exigitur universalis, potest enim esse, vel universalis detestando omnia, vel particularis circa aliqua. Unde contritio, & etiam attritio simul cum sacramento ea peccata venialia delet, ad quæ extenditur.

48. Inq. 2. Quot, & quales conditiones debeat habere dolor, ad confessionem requisitus? R. Septem sequentes. 1. Quod sit formalis, vel virtualis a dolore formali proveniens; non enim sufficit actus caritatis. 2. Quod sit interior conceptus, & exterior manifestatus. 3. Quod sit supernaturalis. 4. Quod sit universalis quoad omnia peccata gravia, cognita, & ignota. 5. Quod sit efficacax, & absolutus, excludens omnem voluntatem peccandi absque ulla conditione, aut hypothesi. 6. Quod sit conjunctus cum proposito firmo de cætero non peccandi. 7. Quod eliciatur cum fide, & spe veniæ, de quo infra.

49. Inq. 3. An sufficiat ad valorem hujus sacramenti hic actus: *doleo, quod non doleam de peccatis meis*. R. Absolute non sufficere, quia talis actus non exprimit dolorem de peccatis, sed potius ejus carentiam. Verum si diceret: *doleo, quod parum doleam, vel quod amplius non doleam*, erit sufficiens, & quia in timoratis ita accidit, ita est intelligendum, esto enim non sentiant dolorem, reipsa tamen illum habent. Non requiritur determinata intensio doloris, unde, quamvis curandus sit dolor vehemens, fervidus, ac intensus, sufficit tamen dolor in quocumque gradu, dummodo sit verus, supernaturalis, & summus, non intensivus, sed appetitivus: hoc est, quod potius quis velit mori, & omnia perdere, quam Deum offendere.

50. Inq. 5. An quoties quis confitetur, debeat apponere novum dolorem? R. affirm. Nam sive fateatur peccata nova, sive jam confessa, sive gravia, sive levia est nova confessio, novumque sacramentum: erg. novus dolor requiritur. Aliqui ajunt sufficere dolorem anterioris confessionis, si adhuc perseverat formaliter, aut

virtualiter; securius tamen est illum renovare, cum tam facile possit. Quis enim non renovat dolorem, dum absolvitur?

51. Objic. Eadem peccata sunt materia sufficiens pro diversis sacramentis: erg. etiam idem dolor? R. neg. consequ. Quia eadem materia remota cum nova materia proxima sufficere valet pro diversis sacramentis, ut eadem aqua cum nova ablutione pro diversis baptismis: ita etiam pro diversis absolutionibus requiritur nova materia proxima, quæ est dolor. Nova enim forma novam dispositionem, & materiam proximam requirit.

52. Inq. 5. An ad confessionem fructuosam requirantur præter dolorem actus expressi fidei, & spei? R. Quod licet perfectius sit, ut formaliter eliciantur; necessario tamen non requiruntur; quia præcepta fidei, & spei, non obligant præcise pro tempore confessionis, & alias actus fidei, & spei includuntur in modo se gerendi penitentis, dum eum sua peccata confitetur, credit in Deum, & sperat ab eo veniam, alias non accederet.

53. Objic. Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. dicit fides disponi ad justificationem ex fide, concepta per auditum, ac spe veniæ: erg. requiruntur actus expressi fidei. R. Concilium dicere, quod ad justificationem disponimur per fidem, & spem, sine quibus impossibilius est justificatio, non tamen ait, nec præcipit, actus expressos in omni confessione elici debere, neque absque solido fundamento multiplicanda sunt præcepta. Apostolus dicit *sine fide impossibile est placere Deo*: erit ne legitima consequentia; erg. in omni opere bono eliciendus est actus expressus fidei? Minime profecto.

54. Inq. 6. An dolor sit spiritualis, vel sensibilis? R. Quod dolor, ad confessionem requisitus, est spiritualis, utpote supernaturalis: fit autem sensibilis per ipsam confessionem, aut tunctionem pectoris, per lacrimas, gemitus, aut alia signa. Ita enim, & non se solo, queit esse pars sacramenti. Potest utique, se solo, esse dispositio ad gratiam, non pars sacramenti, nisi in quantum fit sensibilis, saltem per signa, aut nutus. An autem factus sensibilis, sit pars sacramenti in recto, vel solum in obliquo, questio pure metaphysica est, & utrinque probabilis.

55. Inq.

55. Inq. 7. An confitens plura venialia peccata, de omnibus sub gravi dolere debeat? R. Quod, si omnia ponit pro materia, de omnibus debet dolere sub gravi. At, quia hoc regulariter non contingit, sed aliqua exponitur ad majorem humilitatem, aut confusionem, ideo possunt plura confiteri, quin de omnibus adsit dolor, & propositum efficax, amplius ea non committendi. *Objices*: Apponere materiam ineptam simul cum apta ad consecrationem est peccatum grave: erg. idem de poenitentia. R. neg. conseq. Quia nulla potest adesse causa, ad ponendam materiam ineptam consecrationi: at in sacramento poenitentiae queit dari causa rationabilis, ad patefaciendam aliqua, non pro materia sacramenti, sed, ut diximus, pro majori humiliatione, aut pro capiendo consilio, vel pro alio motivo honesto.

PUNCTUM VI.

De attritione sufficienti ad confessionem.

56. Consistit præsens difficultas in eo: an videlicet attritio ad confessionem necessaria debeat præcise esse conjuncta cum amore initiali erga Deum, propter se dilectum super omnia: vel an sufficiat absque tali amore, quem vocant *inicialem*. Controversia hæc ad praxim plus habet de voce, quam de utilitate. Quoniam omnes, qui sincero corde, ex vero dolore attritionis supernaturalis, accedunt ad sacramentum poenitentiae, ducuntur amore, se justificandi, consequendi amicitiam Dei, & remissionem peccatorum. Quo pacto jam deferunt *amorem inicialem*, quin opus sit altiori, pro sacramento recipiendo, ita ut debeat præcise doleri propter Deum *summe dilectum*; hoc enim est potius filiorum, quam servorum. Pro majori autem claritate plura in pauca reducendo tribus §§. controversiam absolvere curabimus.

§. I.

Nonnulla præmittuntur.

57. Supponendum est primo, quod olim apud Belgas hæc disceptatio adeo recrudit inter Autores, ut Alexand. VII. sub poena excommunicationis lata sen-

sacramento poenitentiae

tentiae prohibuerit: *Aliujus censuræ theologicæ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei, in præfata attritione ex metu gehennæ conceptæ, QUÆ HODIE INTER SCHOLASTICOS COMMUNIOR VIDETUR, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem*. Ita in suo decr. edito 5. Maii 1667.

58. Supponendum est secundo concilium Tridentinum aperte non definisse hanc controversiam, sed solum in hæc materia illas, quæ inter catholicos, & hæreticos tunc agitabantur: ut attritionem supernaturalem ex metu gehennæ, vel ex amissione gratiæ, vel gloriæ, aut ex turpitudine peccati conceptam esse bonam, quod negabant Lutherus, & ejus asseclæ. Si enim definita esset a Tridentino, non daretur locus ejus discussioni, nec laudato decreto Alexand. VII.

59. Supponendum est tertio, non esse necessariam contritionem perfectam, nec requiri actum caritatis perfectæ, ad recipiendum valide, & fructuose poenitentiae sacramentum. Constat ex jam a nobis superius dictis, quæ concedunt utriusque sententiæ patroni; esto assertores caritatis initialis, quandoque hujus suppositionis oblii, illam propugnent, & indigentes, ac pauperes probationibus, injiciant manum ad textus, auctoritates, & rationes caritatem perfectam probantes, ut patebit §. 3.

60. Supponendum est quarto: quod potest disputari, vel de poenitente, qui ex professo, & scienter non vult afferre amorem inicialem, solo dolore servili contentus; & de hoc omnes fatemur, non esse sufficientem, nec posse cum eo solo recipere sacramentum, quia ostendit non accedere pio connatu, illud recipiendi. Vel potest discuti de poenitente bona fide accedente cum vero dolore, & attritione ex metu gehennæ, cupienteque serio consequi gratiam, & misericordiam a Deo medio sacramento, de quo intelligenda est questio. In ea autem nimio ardore procedit P. Concina contra perdoctos Salmanticensis scholasticos, quando satius foret sereno calamo propugnare suam sententiam, ut illi præclari patres fecerunt, & nos cum illis facere volumus.

§. II.

Cap. II. De Sacramento Poenitentiae, ac de ejus materia, & forma. 87

§. II.

Statuitur conclusio.

61. Dicendum est dolorem veræ attritionis supernaturalis, universalis, efficacis, conceptum, vel ex metu gehennæ, vel ex amissione gratiæ, aut gloriæ, aut ex turpitudine peccati cum spe veniæ, & amore Dei justificantis nos medio sacramento sufficere ad recipiendum sacramentum poenitentiae. Prob. 1. ex concil. trid. sess. 14. cap. 4. ubi expresse asserit attritionem, conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, si voluntatem peccandi excludat, licet extra sacramentum non justificet, tamen ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam, disponit. Verba sunt adeo luculenta pro nostra sententia, ut licet eam aperte non definiunt, tamen efficaciter probare videntur. Nam attritio etiam extra sacramentum disponit remote ad gratiam: ergo intra disponit proxime ad eam.

62. Respondet Concina, quod intra sacramentum disponit minus remote, non vero proxime. Hæc interpretatio arbitraria est, quia concilium loquitur de attritione excludente voluntatem peccandi, & talis attritio, juxta Concina, disponit proxime ad gratiam in sacramento. Propterea quærens aliud effugium, dicit attritionem prædictam non excludere omnem voluntatem peccandi, quia concilium dicens, si voluntatem peccandi excludat, non ait, quod revera excludit, sed posuit conditionalem, ad distinguendam hanc attritionem ab aliis attritionibus, vel ex motivo particulari, vel naturali conceptis. Sed hoc effugium æque voluntarium est, ac primum: concilium enim loquitur de attritione, ex metu poenarum concepta; supponens posse excludere voluntatem peccandi indefinite.

63. Nec questio cum hæreticis erat de alia attritione; nisi de qua disceptamus; hæc enim dicebant esse malam, & hypocritam, quia non excludit, juxta ipsos, voluntatem peccandi; quod reprobatur concilium eadem sess. can. 5. & presius declarat sess. 6. can. 8. dicens: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam*

Dei, de peccatis dolendo, confugimus, VEL A PECCANDO ABSTINEMUS, PECCATUM ESSE; ANATHEMA SIT. Ergo juxta fidem, negari nequit; quod metus gehennæ, aut attritio, ex eo concepta, potest excludere, & saltem aliquando excludit voluntatem peccandi. Sed hoc sufficit pro nostra assertionem: ergo vera est. Concilium definit, quod per gehennæ metum ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abstinemus: ergo negari nequit, quod dicta attritio a peccato retrahit, & voluntatem peccandi excludit. Dogma catholicum mihi videtur.

64. Prob. 2. Ratione simul, & auctoritate: ad sacramentum poenitentiae sufficit attritio supernaturalis, excludens voluntatem peccandi, ut adversarii concedunt; sed talis est attritio, ex metu gehennæ concepta; ergo hæc sufficit. Major cum conseq. patet, & minor nequit negari, quia Alex. VII. in laudato decreto eam supponit dicens: *An illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ EXCLUDENS VOLUNTATEM PECCANDI cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam cum sacramento poenitentiae, requirit insuper aliquem actum dilectionis Dei*: ergo attritio, ex metu gehennæ concepta, juxta Alexandrum VII. supponitur excludere voluntatem peccandi, & tamquam res supposita, asseritur in decreto universali pontificio. Sane hæc verba EXCLUDENS VOLUNTATEM PECCANDI, dicta a Pontifice de attritione, ex metu concepta, aperte demonstrant illam excludere, nec aliam intelligentiam videntur admittere.

65. Confirmatur: Illa opinio semper præferri debet, quæ est communior inter scholasticos; sed opinio negans necessitatem prædictæ dilectionis, COMMUNIOR VIDETUR INTER SCHOLASTICOS, ut clare exprimit in suo decreto Alexander VII. ergo hæc alteri præferri debet.

66. Concina volens labefactare laudem, huic opinioni a Pontifice tributam; dicit primo, hanc opinionem esse communiorum inter scholasticos *communiore*; sicut probabilissimus. Secundo; ait esse communiorum inter *casuistas*; & quod opinio communis non fit ex numero, sed ex pondere authorum. Sed inquiritur Concina, an Pontifex summus sciat, quæ opinio appellanda sit COMMUNIOR INTER SCHOLASTICOS,

cos, aut qui sint *casuistæ* juxta suam versionem, vel an hæc ignoret, maxime dum agit post diligens examen utriusque opinionis, ejusque auctorum? Si dicat primum, optime dicit, & religiose se convincit; si autem secundum, judicent docti, quid dicendum.

§. III.

Convelluntur argumenta contraria.

67. Objc. 1. ex Deut. 6. & Matth. 22. *Diligens Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Idem ex Apost. Paul. & passim ex sacra pagina, & SS. Patribus habetur: ergo. Resp. Non posse intelligi, quomodo hæc, & alia hujusmodi testimonia adducantur, ad probandum amorem initialem: loquuntur enim de amore perfecto, de quo non est quæstio. Dicat arguens, an præceptum diligendi Deum fiat satis amore initiali, adhuc simul cum sacramento? Respondet negative. Ergo extra eorum citantur textus, quibus non amor initialis, sed perfectus nobis præcipitur. Amor præceptus in textu, est amor filiorum: Ergo non bene citatur, ad probandum intentum.

68. Reponit vero Concina, si nobis præcipitur amor perfectus, quando urgentius obligat, nisi quando sacramentum penitentiae recipitur? Maxime cum penitens debeat tunc habere propositum servandi omnia Dei mandata, & hoc sit primum, & maximum. R. Quod etiam hoc argumentum requirit in penitente amorem perfectum, quo solo adimpletur præceptum diligendi Deum: in quo non modica confusione, & inconsequentia procedit arguens: Quia ipse negat necessitatem caritatis habitualis ad sacramentum penitentiae: ergo mandat, de Deo diligendo, quod solum adimpletur caritate habituali, non obligat, dum suscipitur sacramentum penitentiae, vel, ad hoc suscipiendum, requiritur caritas perfecta, quod apud omnes falsum est.

69. Alia confusio stat in proposito servandi omnia mandata: aliud quippe est habere propositum diligendi Deum suo tempore, aliud diligere Deum, dum recipitur sacramentum: primum præcipitur, non vero secundum, alias sine caritate formali non posset recipi sacramentum,

quod est falsum. Similiter aliud est amor Dei *propter se*, aliud amor Dei, ut *boni nobis*. Ille est filiorum, hic servorum, & peccatorum: ille nequit esse in peccatore; implicat enim caritas, esto minima, simul cum peccato: iste vero esse queit in peccatore, quia media spe incipit amare Deum, ut fontem justitiæ, & datorem gratiæ. *Non enim est spes nisi de bono desiderato, & amato: & sic incipimus ipsum (Deum) amare*, ait D. Thom. 1. 2. q. 40. art. 7.

70. En amor initialis assertus a D. Thom. inclusus in spe, & requisitus, pro suscipiendo sacramento penitentiae; caritas autem initialis, amans Deum *propter se*, vix queit intelligi in peccatore. Nam sicut odium Dei, esto minimum, repugnat cum gratia, ita caritas, etiam minima, pugnat cum peccato. Unde, licet in aliis virtutibus adsint quidam actus imperfecti ejusdem speciei cum perfectis, non tamen in caritate, in quolibet enim hujus actu reperitur tota ejus ratio specifica, & est velut peccata, quæ non admittunt paritatem materiæ: per quod solvitur alia objectio, ex nota disparitate inter caritatem, & alias virtutes. Nam ut ait D. Thom. *quandoque motus amoris motum penitentiae præcedit, sed ille amor non est caritatis.* Ita in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. q. 2.

71. Inquirunt PP. Salmanticenses: An caritas initialis differat specie ab habituali? Respondet Concina non distingui specie, sed tantum in gradu, & perfectione. Ita enim inquit: *clare ergo, & rotunde dicimus amorem præfatum esse veræ caritatis, quæ Deum spectat, propter se dilectum: absque ambiguitate affirmamus hanc caritatem inchoatam, & imperfectam, non natura, non specie, sed gradu duntaxat, & intentione distingui.* Videtur hæc æquivocatio rotunda. Si non natura, & specie, sed gradu, & intentione, distinguitur caritas inchoata a perfecta, necessario procedit ab eodem habitu. Deinde si ita est, solum distingueretur tamquam caritas verb. gr. ut duo, a caritate ut octo; ut si dicamus tamquam puer a viro; hæc autem caritas in sana theologia est incompatibilis cum peccato, ut contra Bajum declaravit Pius V.

72. Nec proficit effugium distinctionis *affective, & effective.* Si enim attritio tantum

tum distingueretur gradu, & intentione a contritione, esset contritio, quia magis, & minus non variant speciem, nec posset compati cum peccato: ergo idem de caritate solum in gradu, & intentione ab habituali distincta. Hæc est theologia vera, & sana. Aliud est velle habere caritatem, aliud illam habere. Aliud est velle amare Deum propter se, aliud ita eum actu amare. Primum est habere caritatem *affective*, secundum *effective.* Verum primum actus differt natura a secundo, & non tantum intentione. Immo caritas *affectiva* indivisa est a desiderio reconciliationis cum Deo, ac recipiendi sacramentum, & adest in omni penitente cum vero dolore accedente. Unde Concina tandem concedens sufficere ad sacramentum caritatem *affective*, quæ revera includitur in affectu reconciliationis cum Deo, nobiscum convenit. Sed illam esse ejusdem speciei cum perfecta caritate non debet concedere *rotunde*, sed tantum *reductive*, hoc est, quod pertinet ad eandem speciem reductive. D. Thom. in suplem. q. 5. a. 3. ita loquitur: *Quælibet gratia gratum faciens delectet omnem culpam mortalem, sed quælibet contritio est gratia gratum faciente informata, ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam: Sic ergo dicendum, quod quantumcumque sit parvus dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Ex quibus formatur hoc ratiocinium: majoris efficacitæ, et perfectionis est actus caritatis, quam actus contritionis, sed hic quamvis minimus, dummodo ad rationem contritionis perveniat, est incompatibilis cum peccato, ergo a fortiori minimus actus caritatis, semel quod ad essentiam charitatis pertingat, justificabit impium, ergo chimericus est amor initialis *affectivus*, et solum gradualiter distinctus a vera caritate, rotunde depictus a P. Concina lib. 1. d. 2. cap. 9. §. 1. n. 18. pro materia necessaria penitentiae; amor namque iste potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem charitatis, uti Ang. docet in eodem articulo; si autem sufficiat, vincit peccatum majori efficacitæ, quam contritio minima. Consequenterque caritas imperfecta, seu initialis coexistens peccato nequit esse ejusdem nature.

Tom. II.

tura cum perfecta, et solum gradualiter distincta, ut asstrit præcitus auctor.

73. Verum ait nostram sententiam *evertere Evangelium.* An juste, vel injuria hoc ille proferat, judicent alii. Resp. Tamen inquirendo: An Concina, negando necessitatem caritatis perfectæ ad sacramentum penitentiae, evertat Evangelium, vel non? Si primum, destruit suam sententiam: Si secundum, adstruit nostram. Si quis audax, ex eo, quod Concina negat necessitatem perfectæ dilectionis Dei ad hoc sacramentum, inferret: *evacuat Christi legem, in caritate perfecta fundatam: evertit Evangelium, amorem Dei ex toto corde præcipiens; vel cavete fideles ab amore perfecto, non desipret? Ita sane.* Igitur idem dicendum de arguente eodem modo contra negantes necessitatem amoris initialis. Aliud est negare necessitatem caritatis ad confessionem, aliud negare caritatem. Hanc consilium non imperfectam, sed servidam, & perfectissimam. Solum dicimus non requiri necessario ad recipiendum sacramentum mortuorum. Quod negat Concina de caritate perfecta, negamus ceteri de imperfecta, languida, & debilissima, ab ipso asserta. Igitur, sicut non evertit Evangelium, qui negat in casu necessitatem caritatis perfectæ, adeo in ipso Evangelio commendatæ, ita non illud evertit, qui negat in eodem casu necessitatem caritatis imperfectæ, cujus vix meminit Evangelium.

74. Sed instat, & ait, quod penitens, volens justificari, potest dicere Deo: *Non te prosequor amore initiali, quia magistri mei mihi suadent hoc non esse necessarium, ideo non curo, non studeo te amare.* Scurrilia sunt ista. In primis idem posset penitens dicere Deo de Concina: *Domine, dum me ad te converto, & fieri tuus amicus volo medio sacramento, non te amo amore fervido, sed quodam amore initiali imperfecto, languido, & debilissimo, nec curo de majori, quia Concina mihi suadet illum amorem debilissimum erga te sufficere, nec esse necessarium majorem.* Quid ad hæc Concina? Pro omnibus dicimus, quod stultissimus esset talis penitens. Nam aliud est non afferre amorem ad sacramentum, aliud illum excludere. Sine amore Dei super omnia potest recipi sacramentum penitentiae.

M

ni

nitentie, secus vero illum positive excludendo. Hoc solo verbo corrumpit commenta contraria.

75. Objic. 2. Sententia negans necessitatem amoris initialis comprehenditur in prop. 1. damnata ab Innoc. XI. quia altera illam requirens est tutior. R. neg. comprehensionem. Nam altera sententia est tutior *extensive*, vel est tutior *comparative* ad probabilem utcumque, non ad probabiliorem, & tutam. Hoc modo sententia, defendens contritionem perfectam esse necessariam ad sacramentum, est tutior *extensive*, quia opposita probabilior comprehendatur in dicta propos. Bened. XIV. expendens dilucide fundamenta utriusque sententiae in *Synod. Diocesis. lib. 7. cap. 13. num. 9.* concludit dicens. *Hinc recte insulit Berti Theolog. tom. 7. lib. 34. c. 5. nihil habemus a sede apostolica de hac questione decisum, sed libertatem cuique datam, ex prefatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit.* Pontifex sapientissimus asserit nihil a sede apostolica esse decisum de hac questione, liberumque esse cuiilibet de utraque opinione docere, quam maluerit. Non igitur est audiendus, qui asserit aliquam ex illis a sede apostolica esse damnatam.

76. Objic. 3. Ideo penitentes cito redeunt ad praeterita peccata, quia non ex amore Dei, sed ex timore gehennae recipiunt sacramenta, ergo. R. Hoc argumentum jam supponere cum attritione ex metu gehennae suscipi sacramentum. Deinde causalis, *ideo*, non est adequata. Utinam omnes penitentes accederent ad sacramentum cum vero dolore, aut vera attritione ex metu gehennae, mortis, aut strictissimi iudicii! Ita non adeo cito ad vomitum redirent. Accedunt saepe fito dolore, fictoque proposito, & hinc confessiones sunt fictae. Ex defectu igitur doloris, sive procedat ex amore initiali, sive ex timore gehennae & ex defectu firmi propositi provenit reditus ad consueti flagitia. Adde plus coerceri peccatores timore inferni, & sempiterni ardoris, & incendii inextinguibilis, quam amore initiali, languido, & debilissimo: quia hic debilitat allicit; ille vehementer terret; & qui hoc negat, vix serio meditatus est illum ignem devorantem, illosve sempiternos ardores. Dicit

nobis Spiritus Sanctus *Ecol. 10. Memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis.* Cur queso? Quia timor mortis, stricti iudicii, tartarei ignis, & amissionis aeternae gloriae expellit culpam, & retrahit a peccato, excludens voluntatem peccandi. Denique causa adequata, aut principalior, cur justificationes plurium aetatis nostrae sint adeo labiles, & inconstantes, non est ea, quam assignat Concina, sed illa, quam etiam suo tempore deplorabat Propheta: *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Jerem. 12. 11.

77. Pro praxi omnis confesarius suadere debet penitentibus amorem in Deum, non precisae initialiam, sed fervidum, et perfectum, sicut etiam non solum attritionem, sed perfectam contritionem, quia ita fieri praecipit Rituale Romanum jussu Pauli 5. editum tit. 18. vid. Bened. XIV. Ubi supra n. 10. Ita fieri ab omni confessario non est dubitandum, propterea dixi ab initio questionem hanc ad praxim plus habere de voce, quam de utilitate. Nostra tamen sententia deservire valet prolatio fragilium, si aliquando non ex amore Dei propter se, sed ex amore ejus, ut nobis boni, aut ex timore poenae concitii recipiunt sacramentum. Pro eligenda autem sententia jam vidimus ex Bened. XIV. quemlibet esse liberum eligendi *quam maluerit.*

PUNCTUM VII.

De proposito ad confessionem requisito.

78. Inq. 1. Quid sit propositum ad confessionem requisitum? R. Est *voluntas in posterum non peccandi.* Potest procedere a timore filiali, vel a servili. Debet esse supernaturale. Sive enim profluat a timore servili, sive a filiali, semper oritur a principio supernaturali, & habet motivum supernaturale, sicut ipse dolor, ex quo dimanat. Dividitur in *formale*, aut *expressum*, & *virtuale*, aut *implicitum.* Propositum *formale* est actus distinctus a dolore, quo detestamur peccata praeterita. Unde propositum formale separabile est a dolore, non vero propositum virtuale: hoc enim est

est dolor ipse, vel quid inseparabile ab eo.

79. Inq. 2. An propositum formale requiratur necessario ad sacramentum penitentie? R. Primo: propositum aliquod, saltem virtuale necessario requiri ad valorem hujus sacramenti: quia dolor, requisitus ad confessionem, excludit omnem voluntatem peccandi: est enim seria detestatio omnis peccati, tam praeteriti, quam futuri, & consequenter voluntas virtualis numquam peccandi.

Resp. secundo: propositum formale, & expressum, non requiri ad *validum* sacramentum essentialiter: semper vero requiri *scienter*, vel *advertenter*: Ratio primi est, quia si quis, attendens ad peccata praeterita, & non advertens ad futura, eliceret actum contritionis, abs dubio justificaretur: ergo idem potest accidere recipienti sacramentum cum vero dolore sufficienti, maxime quando repente in casu urgenti absolvitur. Ratio secundi est, quia advertens ad futura, tenetur ea detestari, & consequenter elicere propositum formale illa declinandi; alias peccaret graviter, & irritam faceret confessionem; nec haberet verum dolorem. Nam, qui bene dolet, bene proponit, & qui non bene proponit, non bene dolet: verus dolor verum propositum parit. Ex defectu veri doloris provenit, quod plurimae confessiones sint nullae, & ex confessionibus nullis, quod tot christiani misere damnentur.

80. Inq. 3. Quas condiciones debeat habere propositum ad confessionem requisitum? R. Tres condiciones postulare. *Prima*, quod sit *universale*: hoc est, quod se extendat ad omnia peccata gravia. At circa peccata venialia, quod se extendat ad ea, quae sunt ejusdem speciei, seu quantitatis, aut qualitatis, vel ad ea, quae ponit pro materia. Imo nequit dari propositum universale, de vitandis omnibus peccatis venialibus collective, quia hoc non est moraliter possibile. Circa peccata gravia, vitandae sunt hypotheses, *ut quid faceres in hac, vel illa occasione?* Quia debilibus plus obesse, quam prodesse valent. Perfecti, & fortes in virtute possunt optime circa tales hypotheses sese exercere pro majori merito, & radicatione virtutum, excepta quadam materia, in qua nemini convenit. Interrogatus D. Thomas,

quid faceret in tali occasione? Sapienter respondit: *Quid facere deberem, scio: quid autem facerem, nescio.*

81. *Secunda*, quod sit efficax ita, ut quamdiu manet propositum, excludat voluntatem peccandi. Verum recte componitur, quod quis habeat hoc propositum, & simul timeat lapsum in eadem peccata; quia propositum est actus voluntatis; at agnitio suae fragilitatis est actus intellectus compatibilis cum illa voluntate. Qui certo crederet se relapsurum, non est capax absolutionis, quin certitudinem deponat: debet enim homo sperare, quod, fretus divino auxilio, superabit Diaboli tentationes; esto alias timeat ob suam fragilitatem. Sed aliud est timere lapsum, aliud certo credere illum. *Tertia* conditio propositi est, quod sit *firmum, & stabile.* Non enim sufficit velleitas, sed vera, firma, & solida voluntas praevendi in futurum peccata, eorum occasiones, & pericula proxima.

PUNCTUM VIII.

An detur sacramentum penitentie validum, & informe?

82. Circa hanc difficilem controversiam duplex datur extrema opposita sententia. Prima negativa: secunda affirmativa, propter quaedam verba D. Thom. infra transcribenda. Sed tanta diversitate defenditur haec sententia, ut in undecim modos illam explicandi abierint ejus patroni. Alii tribuunt ejus informitatem defectui doloris. Alii defectui examinis: alii aliis capitibus, vel ipsi, diverso modo explicatis. Quidam requirunt bonam fidem; alii etiam cum mala fide, & peccando, ex defectu culpabilis ignorato, dicunt recipi sacramentum validum, & informe. Unde eadem varietas, qua desudat propugnatores hujus sententiae, inter se divisi, & oppositi, satis declarat ejus obscuritatem. Alias sacramentum penitentie validum, & informe inutile est fidelibus; quia non causat gratiam, dum adest fictio, nec recedente fictione, juxta graviore ejus assertores: ergo numquam. Ad quid igitur tantus labor, tantusque sudor impenditur, pro defendendo sacramento inutili fidelibus? Maxime cum ejus veritas adeo

ambigua sit, ut quanto plus inquiritur, taato amplius elongari videatur.

83. Dicendum itaque est non dari sacramentum penitentiae validum, & informe. Prob. ratione: dolor, ad sacramentum penitentiae requisitus, debet esse supernaturalis, universalis circa gravia, & efficax; sed posito hoc dolore, sacramentum est formatum, & absque illo nullum: ergo nequit dari sacramentum penitentiae validum, & informe. Nec valet dicere, posse dolorem esse peccatorem hujus peccati, & non alterius, ut adstruunt aliqui: vel posse esse inefficacem, ut tenent alii. Nam idem, propugnantes eandem sententiam, sibi ipsis negative respondent. Et pro omnibus dico posse utique dari dolorem universalem, & non universalem; efficacem, & non inefficacem; at dolorem non universalem, aut inefficacem non sufficere ad valorem hujus sacramenti: quoniam dolor, sufficiens ad ejus valorem, debet excludere omnem voluntatem peccandi universaliter. Neque aliud potest intelligi; nec quomodo, actualiter quis peccando, esto ididreite, possit recipere sacramentum penitentiae validum. Si autem poenitens, bona fide, cum dolore tantum particulari, vel inefficaci accedat, non peccabit, at sacramentum tunc non solum informe, sed etiam nullum est.

84. Objic. 1. D. Thom. in 4. *distinct.* 17. q. 3. a. 4. q. 1. inquit: *Secundum hoc confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus: quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere, & clavibus Ecclesiae subjicere, & quamvis tunc non percipiat absolutiois fructum; tamen, recedente fictione, percipere incipit: sicut etiam est in aliis sacramentis: ergo juxta D. Thom. potest dari sacramentum confessionis validum, & informe.*

85. Haec sunt verba, ob quae N. Salmant. scholastici, & morales, tamquam adeo doctrinae D. Thom. addicti, defendunt pro viribus, esto diversimode, sacramentum penitentiae validum, & informe. Summus enim Carmelita discalceati, ad sequendam angelici Praeceptoris doctrinam jucundissime adstricti peculiari lege, quam, non sine gravi fundamento, putamus a nostra angelica Doctrinae sancta Theresia originem ducere. Ideo libentissime obsequimur legi, & Legislatrici, ad unguem

amplectendo doctrinam D. Thomae.

Verum ad illa verba plures discipuli ejusdem S. Doctoris respondent ea retraxerunt in 3. p. Ita inter alios perdoctus Sylvius in praesenti; & sapientissimus magister Soto in 4. *dist.* 18. q. 3. a. 3. ait: *Unde ad sanctum Thomam respondetur primo, quod fortasse loquebatur in 4. cum communi vulgo, quod quidem in summa correxit.* Igitur immunes sumus a defendenda doctrina, ab ipso sancto Doctore postea sapienter correcta.

86. R. 2. Cum S. Antonino, Natali Alexandro, & aliis, D. Thom. loqui non de sacramento valido, & informi, sed de confessione; confessio autem saepe est valida, & informis, praecipue dum peccator paulatim per aliquos dies confitetur, vel suspenditur ei absolutio pro aliquibus diebus; & idem est de faciente confessionem cum aliqua fictione, vel defectu culpabili, quem tunc non cognoscit v. g. cum defectu sufficientis doloris, aut examinis; in his enim casibus non tenetur iterare confessionem, dum poenitens ad eundem reddit Confessarium. Unde rediens postea, rite dispositus & absolutus, recedente fictione, seu causa suspensionis, fructum absolutiois percipiet. Nec alio modo intelligi valeat praefata verba; praesertim ab illis, qui, admittendo sacramentum validum, & informe, negant ipsum causare gratiam, etiam recedente fictione; cum aperte oppositum adstruat D. Thom. *Et quamvis tunc non percipiat fructum: recedente fictione, percipere incipiet.* Qui hoc ultimum negant, negare debent & primum, omnis metaphysicis effugiis, quae, ad ludendum terminis potius, quam ad veritatem patefaciendam saepe deserviunt.

87. Objic. 2. Ad valorem sacramenti penitentiae ille dolor sufficit, qui satis est ad hoc, ut confessio non sit pura narratio historica; sed ad hoc sufficit dolor inefficax: ergo. R. Hoc argumentum posse retorqueri in argumentum, qui negat sufficere dolorem inadequatum; & certum est sufficere, ut confessio non sit pura narratio historica, ut per se patet. Igitur pro omnibus dicimus, quod confessio non sit pura narratio historica non sufficere ad valorem sacramenti, nisi suppositis aliis requisitis. Nam de peccatis pure existimatis potest fieri confessio, quae non sit pura

narratio

narratio historica: at absque alia materia non aderit veum sacramentum, & sic de aliis.

88. Objic. 3. Negato universaliter sacramento penitentiae valido, & informi, plures angerunt scrupulis, iterandi confessiones, nec solum ordinarias, sed & annuas, vel quae annualiter ab Ecclesia fieri praecipiantur: ergo. R. Plurimas confessiones esse nullas ex defectu examinis, doloris, & propositi, quin ob hoc fideles scrupulis angantur; quia vel agnoscunt illarum nullitatem, vel non? Si primum, illas repetant sine scrupulis. Si secundum, excusantur, quia reputantur validae, & per aliud sacramentum, rite susceptum, omnes velut renovantur, & compensantur; ita concedente summa Dei nostri benignitate. Quis umquam agnovit se recepisse sacramentum penitentiae validum, & informe? Nemo sane. Ubi ergo scrupuli? Ubi angores? Igitur aliud est confessio valida, & informis; aliud vero sacramentum validum & informe. Sed a parte ad totum non valet argumentum; ideo illam concedendo, hoc non admittimus.

PUNCTUM IX.

De confessione.

89. Inq. 1. Quid sit confessio sacramentalis? Est *manifestatio peccatorum, per quam morbus, latens in anima, aperitur Confessario, sub spe veniae virtute clarum obtinenda.* Potest esse triplex, nempe *communis, rigorosa, & interpretativa.* Communis est, quae fit communiter, manifestando verbis peccata Sacerdoti. *Rigorosa* dicitur, quando poenitens loqui non valet; dat tamen signa sui doloris. *Interpretativa* appellatur, quando poenitens nec loqui, nec dare signa doloris valet; attamen ex plis conjecturis praesumitur habere dolorem, ac velles suscipere sacramentum. De hoc casu fusius infra. In primo datur absolutio absolute, supposita dispositione subiecti. Similiter in secundo, quando signa doloris sunt certa: at quando sunt incerta, conditionate. Confessio semper debet fieri verbis, nisi necessitas excuset. Ita ex institutione Ecclesiae tenentur communis usus, ut docet D. Thom. *Quodl.* 1. q. 6. a. 10.

90. Inq. 2. An requiratur examen conscientiae ad confessionem? R. Pro confessione communi requiritur diligens examen peccatorum in particulari. Alias non poterit poenitens reddere rationem suae conscientiae. Non tamen requiritur summa diligentia, sed talis, qualem homines cordati apponere solent in negotio gravi. Nec tenetur quis scribere peccata sua, ne ea obliviscatur, quia haec est diligentia extraordinaria, & periculis exposita. Igitur quisque juxta suum statum, & obligationes, atque juxta plus, minusve tempus ab anteriori confessione elapsam, debet prudenti diligentia examinare suam conscientiam. Si Confessarius reperiat rudes, non bene examinatos, curet ipse suis interrogationibus patienter juvare, & instruere illos. Si autem nec sui adjutorio valeat supplere eorum negligentiam, aut deprehendat, nullo facto examine, eos accedere, dimittat illos, monendo, quod, post examen possibile factum, redeant. In hoc differt examen a dolore, quod illud debet esse de peccatis in particulari, hic vero extenditur ad omnia gravia sub motivo universali.

91. Inq. 3. Quot sint conditiones requisitae ad bonam confessionem? R. Esse quatuor; nempe, quod sit *vera, integra, lacrymabilis, & obediens.* Alii alias assignant conditiones, tamen ad quatuor, recensitas omnes reducuntur, ut eas consideranti patebit. Nam si est vera, erit utique simplex, pura, fidelis, nuda, & discreta. Si est inregra, erit fortis, accusans, & frequens, erit oportet. Si autem est lacrymabilis, prout oportet. Si autem est lacrymabilis, erit *libens, verecunda, humilis, secreta, & accelerata* convenienter, si denique sit obediens, erit *parere parata.*

92. Inq. 4. In quo consistat veritas, ad confessionem requisita, & quale peccatum sit mentiri in confessione? R. Quod veritas consistit in eo, quod poenitens omnia requisita fateatur in confessione absque ullo mendacio. Mentiri autem in confessione potest esse grave, aut leve, juxta gravitatem materiae. Si enim poenitens mentiatur, dicendo scienter peccatum grave, quod non commisit, aut tacendo, quod commisit, graviter peccat. Si vero mentiatur in materia levi partiali, hoc est, apponendo aliam materiam, leviter peccat;

cat; verum si non apponit aliam materiam, mentitur in materia totali confessionis, & graviter peccat. Unde confitens duo mendacia levia, quæ non protulit, & non ponens aliam materiam, frustrat sacramentum, & consequenter peccatum grave committit. Si interrogatus a Confessario de levi culpa vere commissa, illam neget, venialiter peccat: nisi interrogetur a Confessario tamquam Iudice, aut medico, vel ut quid attinens ad præsentem confessionem; tunc enim sub gravi respondere tenetur. Verum si huiusmodi interrogatio nec sit necessaria, nec habeat finem honestum, nullum peccatum erit non respondere, vel occultare veritatem, dummodo non mentiatur.

PUNCTUM X.

De integritate confessionis.

93. Inq. 1. In quo consistat, & quotuplex sit integritas confessionis? R. Quod consistit in eo, quod peccata integre manifestentur Confessario. Duplex est integritas: *materialis*, & *formalis*. *Materialis* est, proderi omnia peccata gravia, etiam interna, nullo omissio. *Formalis* est, manifestare omnia, quæ memoriæ occurrunt, & hic, & nunc debent confiteri. Unde, si post diligens examen, aliquid peccatum grave ex inculpabili oblivione omittatur in confessione, datur integritas formalis. Et hic est casus concilii. Similiter, dum quis ob justam causam reticet aliquid peccatum, confitendo cætera, adest integritas formalis.

94. Inq. 2. Quæ integritas requiratur ad confessionem ex præcepto divino? R. Quod *per se* requiritur integritas materialis; quia Christus instituit confessionem integram peccatorum, ut definit concil. Trid. sess. 14. cap. 5. *At per accidens* sufficit integritas formalis, seu moralis. Hæc autem formalis integritas semper requiritur ad valorem confessionis; nisi in casu extraordinario, de quo non sumitur exemplum.

95. Inq. 3. Quæ causæ excusent ab integritate materiali, vel sufficiant ad integritatem formalem? R. Duas esse causas, ad quas cæteræ reducuntur. Videlicet *impotentia physica*, & *moralis*. Ex impoten-

tia physica excusantur mti, qui omnia peccata pandere nequeunt, ignari idiotæ, qui naufragio, incendio, prælio, aut alio eventu repentino non valent integre confiteri. Ex impotentia morali excusatur oblivio invincibilis peccati; ut periculum, seu timor prudens violationis sigilli, vel notabile detrimentum vitæ spiritualis, aut temporalis, famæ, aut rei familiaris magni momenti. In his casibus potest fieri integritas moralis sub quatuor conditionibus. 1. Quod urgeat confessio. 2. Quod non sit alius Confessarius, cui integre confiteri queat absque periculo gravis detrimenti. 3. Quod solum omittatur illud peccatum, vel illa circumstantia, ex cuius declaratione timetur grave detrimentum. 4. Quod sublata causa reticendi, exprimentur, quæ omissa fuerunt.

96. Illustratur doctrina exemplis. *Ob detrimentum spirituale*. Si duo infirmi sint morti proximi, & ex confessione materialiter integra unus provenit alium non posse confiteri: tunc Confessarius, audens aliqua peccata primi, & advertens eipericulo alterius, illum absolvat, supposito omnium dolore. Deinde pergat ad eundem, quo post confessionem physice integram absolutum, redeat ad primum, si tempus permittat, ut etiam illum integre materialiter audiat, & iterum absolvat. *Ob detrimentum temporale Confessarii, vel proprium*. Infirmus, morbo contagioso laborans, cuius confessio physice integra nequit audiri a Confessario absque periculo contagionis, potest uno, aut alio peccato manifestato, cætera reticere, & absolvi. Pariter, si nullus alius Confessarius, nisi peste infectus, adesset, & poenitentia urgeret confessio, in hoc vel alio casu, in quo poenitens absque damno gravi temporali nequit omnia peccata fateri, potest omittere illud, ex cuius revelatione timet damnum sibi imminere. Sicut etiam quando ægrotus, manifestando omnia peccata, magnam sentiret defatigationem. *Ob detrimentum honoris, aut famæ*. Si infirmus, cui jam delatum est viaticum, concursu adstante, deberet pro integritate physica iterare confessiones, posset ob vitandam infamiam, facere integritatem moralem, & absolvi, supposito dolore universali, & obligatione postea omnia confitendi.

97. In casu infirmi peste infecti dicunt aliqui, quod, si infirmus velit omnia peccata confiteri, debet Parochus ea audire, etiam cum periculo vitæ; quod non reputo verum, saltem quando Parochus est necessarius, ad alios infirmos subveniendum. Et in omni eventu debet infirmus, privare se aliquo solatio non necessario, quod absque periculo vitæ sui Parochi nequit habere. Unde si monitus ex una parte de periculo vitæ Parochi, & ex alia de sufficientia integritatis moralis confessionis, adhuc contenderet pro integritate physica, esset indispositus, & indignus absolute, vel tamquam amens dimittendus. Quando Confessarius nequit fateri suum peccatum absque violatione sigilli, aut poenitens absque eodem periculo ex parte Confessarii, omnes dicunt posse fieri integritatem moralem.

98. Inq. 4. An in magno concursu poenitentium possit dimidiari confessio, vel fieri integritas moralis? R. neg. Constat ex propos. 59. damnata ab Innoc. XI. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiata tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna festivitatis, vel indulgentiæ*. Unde magnus concursus non est sufficiens causa, ad dimidiandam confessionem. Imo nec urgens necessitas, ministrandi baptismum infanti cito morituro, aut audiendi confessionem moribundi: in his enim casibus debet Confessarius omittere confessionem inceptam ad aliud tempus, & subvenire alteri, in majori necessitate constituto; minime vero dimidiare poenitentis sani confessionem.

99. Inq. 5. An possit fieri integritas moralis, ne poenitens, qui antea habebatur a Confessario ut probus, aut castus, postea habeatur, ut vitiosus, aut impurus? R. neg. Quia confessio ex se affert pudorem, verecundiam, & confusionem propriam, sed est confusio ad gloriam. Hinc non sunt audiendi, sentientes religiosum itinerantem, posse dimidiare confessionem, si in peccata carnis sit lapsus, ne se, suamque religionem infamet apud exteri Confessarium. Hoc hypocrisism redollet. Confessio integra fieri debet, quoties ab extrinseco non imminet alia infamia, præter illam, quam quis patitur apud Confessarium. Neque Confessarius mir-

bitur de humana fragilitate, sed fortasse letabitur de dolore, compunctione, & humilitate poenitentis, experientia cognoscens dictum S. Bernardi; quod *religiosus varius cadit, & velocius resurgit*.

PUNCTUM XI.

Alia dubia de integritate confessionis.

100. Inq. 1. An qui non potest confiteri suum peccatum, quin detegat peccatum, & personam complicit, ut qui cum sorore peccavit, debeat integram confessionem facere? Supponitur non adesse confessarium, cui ignota sit persona complex, si enim adsit, huic integre confiteri debet. Quæstio solum procedit in defectu alterius Confessarii, & etiam cuiuscumque detrimenti extrinseci, præter pravum complicit conceptum apud Confessarium. Quibus suppositis: R. affirm. Prob. ex D. Bern. *In formula honestæ vitæ*, dicente: *De nullo prorsus sinistre loquaris, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione: & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum*. Prob. ratione: quia poenitens adstringitur præcepto divino, ad fatenda integre sua peccata: ergo, si ad hoc requiritur proderi peccatum, & personam complicit, id debet facere: alias non integre, sed dimidiata illa fateretur. Hanc sententiam docent S. Bern. S. Bonav. S. Anton. & fere communiter Theologi cum D. Thom. qui eam aperte docet in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. q. 5. art. 5. & clarius opusc. 2. q. 6.

101. Objic. 1. Poenitens stringitur præcepto naturali servandi famam proximi; sed præceptum naturale obligat fortius positivo, etiam divino: erg. debet illud servare? R. Præceptum naturale obligare extra confessionem, non in secreto confessionis: nam dum complex consentit in peccatum, amisit jus suæ famæ respectu confessionis. Consentire in peccatum est simul consentire in manifestationem apud Confessarium.

102. Objic. 2. Sacerdos impotens confiteri suum peccatum, quin revelet personam, cuius confessionem audivit, debet illud tacere: erg. idem de poenitente, impotente fateri suum peccatum, sine manifestatione peccati, & personæ complicit?

R. neg. conseq. Quia prima revelatio est contra bonum commune, ideoque obligat, ejus secretum in omni eventu: secunda vero vix queit dici esse contra aliquem particularem, cum remaneat sub strictissimo confessionis sigillo. Alia disparitas stat in eo, quod socius peccati, eo ipso amittit jus, ut servetur ejus fama apud Confessarium, cujus oppositum evenit in casu præsentis, ut ex se patet. Major difficultas esset, si quis haberet rem v. g. cum sorore, ipsa invita: tunc quippe, sicut illa in peccatum non consentit, ita suæ famæ jus non amisit. Nihilominus debet ille fateri suum incestum, manifestandum simul violentiam illatam sorori, hujusque innocentiam.

103. Inq. 2. An Confessarius possit interrogare de nomine, & persona complicitis? R. neg. Quia in confessione solum est interrogandum id, quod ad poenitentiae tribunal spectat; at nomen, & persona complicitis ad tribunal nullatenus pertinet: erg. de eis interrogare Confessarius minime valet. Hujusmodi valde perniciosa praxis, inveni cœpit in Regno Portugalliae, & Algarviorum a quibusdam Confessariis conantibus scrutari non modo conscientias poenitentium, sed & mores, & vitas aliorum, sub prætextu correctionis eorum cum gravi detrimento sigilli sacramentalis, famæ proximi, ac pacis, & quietis communis.

104. Unde jure merito hanc pravam, atque perversam praxim penitus eliminavit Benedict. XIV. quatuor Bullis, seu Brevibus, in prima quæ incipit: *Suprema, dat 7. Julii 1745.* eam reprobat ac damnat. In 2. incipiente: *Ubi primum, edita 2. Junii 1746.* prohibet omnibus eam docere, scribere, aut defendere sub poena excommunicationis majoris *latae sententiæ* summo Pontifici reservatæ, & confessariis eam exequi sub poena suspensionis a confessionibus audiendis. Concessa etiam facultate Tribunali Inquisitionis, procedendi contra delinquentes, si ex circumstantiis ex mala adhesionem ad præfatam praxim tamquam licitam exequi, seu docere reperti fuerint.

105. In tertia Bulla incipiente: *Ad eradicandam dat. 18. Sep. 1746.* ne praxis adeo exitialis alibi serperet, declarat vigilantissimus Pastor suas Apostolicas litteras anteriores ubique obligare, universa-

sacramento poenitentia

lisque legis vim sorti. In quarta denique incipiente: *Apostolici ministerii edita 9. Decembr. 1749.* decernit Confessarius qui ausu temerario volunt poenitentes obligare ad detegendum complicem delicti, minantes denegaturos absolutionem, si non revelant, debere a quocumque id sciente, excepto poenitente, denunciare ad Tribunal Inquisitionis intra tempus consuetum, sub eisdem poenis, quibus ad aliorum delictorum denunciationem adstringuntur. In hac ultima constitutione absolute præcipitur denunciatio, quæ in secunda, solum adstante *mala adhesionem* ad praxim, præcipiebatur. *Vid. ipsam Pontif. de syn. lib. 6. cap. 11. n. 1.*

106. Inq. 3. An aliquando possit Confessarius hortari, aut compellere poenitentem, ad manifestandum complicem delicti? R. Quod potest, & debet compellere illum, ut detegat non sibi, sed judici, vel Magistratui complicem delicti, vergentis in damnum commune, & aliquando etiam innocentis, imo etiam denegare absolutionem reluctanti: quia indispositus accedit, qui non est paratus obedire Confessario in his, quæ juste illi imponit, & circa ea, quæ poenitens, etiam secluso Confessarii præcepto, tenetur præstare. Quoniam damnatio Pontificis nequaquam loquitur de his casibus, sed solum de Confessariis, qui prætextu correctionis volunt perversa curiositate, vel zelo imprudenti sibi manifestari nomen, & persona complicitis. Neque extenditur ad casum, in quo poenitens ultro, & spontaneè ad propriam utilitatem, vel capiendum consilium, vel simpliciter absque ulla interrogatione a Confessario facta, declarat socium, aut complicem criminis, ut Confessarius eum aptius corrigat. Quamvis enim Confessarius hanc curam vix, aut numquam sumere debeat, quia tribunal confessionis tantum ad corrigendos poenitentes est institutum; tamen apostolicæ litteræ ad hos casus non extenduntur.

PUNCTUM XII.

Explicantur alia de integritate confessionis.

107. Inq. 1. An, ut integra ait confessio, debeant explicari effectus peccati? R.

af-

Cap. II. De Sacramento Poenitentia, ac de ejus materia, & forma.

affirm. Pro cujus luce nota, tria posse concurrere in peccato. Nam in homicidio, v. g. datur actio externa, & ipsa occisio, seu mors secuta. Actio interna est voluntas occidendi, actio externa est ictus, seu propinatio veneni; ipsa vero mors, seu occisio secuta ex ictu, aut veneno dicitur *effectus peccati*. Igitur, non solum actio interna & externa, sed effectus peccati debet explicari in confessione, quidquid alii sentiant: tum quia sic tenet communis usus fidelium: tum quia ipsa occisio saltem denominative, & vere in sua causa est peccatum, & peccaminosa; ob quod motivum vere imputatur occisori, seu actionem externam apponenti: tum denique, quia prædictus usus est aptissimus ad explicandum totum peccatum, dicendo: *occidi hominem*. Ad quid ergo illæ circumlocutiones: habuit intentionem occidendi hominem, & ad id illi propinavi venenum; vel ipsum vulneravi, tacendo ipsam occisionem?

108. Inq. 2. An in confessione generali possit quis fateri peccata vitæ præsentis, ac si essent præterita? R. In nulla confessione generali posse id fieri: quia variat iudicium Confessarii. Idem est, esto alia ratione, si dicat, occidi Petrum, cum occidisset Paulum, quia fatetur peccatum quod non commisit, & non illud quod commisit. Vel pandit unum peccatum pro alio, mentiens in re gravi. Igitur confessio debet esse clara, & integra; ita ut explicentur peccata, prout sunt in conscientia. Unde cum poenitens vult facere confessionem generalem, prius explicet peccata nondum confessæ, ac subinde cætera vitæ ante actæ.

109. Inq. 3. An qui habuit rem cum femina, debeat explicare copulam? R. affirm. Constat ex propos. 25. damnat ab Alexandr. VII. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfaciit confessionis præcepto, dicens: commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem*. Merito damnata est hæc propositio; quia alias non esset obligatio substantiam peccati explicandi, quia copula substantialiter differt ab omni alio peccato contra castitatem. Unde non bene dicit Concina hanc damnatam thesim esse legitimum foetum opinionis negantis necessitatem confitendi circumstantias aggravantes intra eandem speciem. Nam copula non est cir-

Tom. II.

circumstantia aggravans malitiam, sed ipsum peccatum. Quod copula habeatur majori libertate, cogitatione, intentione, aut delectatione, sunt circumstantiæ eam notabiliter aggravantes, quas non esse necesse, nec conveniens explicare in hac materia, fateri debet ipse Concina. Igitur si ne causa injuria afficit opinionem ab Authoribus virtute, & doctrina fulgentibus propugnatum. Videas eum *lib. 1. de poenit. diss. 4. cap. 7. num. 15.*

110. Inq. 4. An femina gravi fundamento timens, quod ex revelatione sui peccati Confessarius eam sollicitabit, possit facere integritatem moralem, & tacendo illud peccatum, supposita urgentia confessionis? R. neg. Quia ea, quæ sunt de præcepto, omitenda non sunt propter scandalum vitandum. Si mulier possit adire alium Confessarium, ad id tenetur sub gravi: si vero nequeat, & necessitas confitendi urgeat, debet integre confiteri ob rationem expositam. Neque urgere confessionem censendum est ob lucrandum Jubilæum, seu indulgentiam plenariam: neque hac de causa potest fieri confessio moraliter integra, esto vere adsint motiva illam alias faciendi; quia deest urgentia confitendi. Ad confessionem enim moraliter integram faciendam, non solum requiritur causa gravis: tacendi crimen, sed etiam urgens necessitas confitendi, ut diximus supra.

111. Inq. 5. Cur debitis conditionibus sit licita integritas moralis confessionis? R. Ideo esse licitam, quia præceptum integritatis physice est positivum, non obligans cum notabili detrimento extrinseco, proprio, vel alieno. Nam ut ait S. Bern. *lib. de præcept. & disp. Quod propter caritatem introduitum est, non debet contra caritatem exerceri*. Nec obest, si contra hoc inferas: erg. femina, prævidens detrimentum spirituale Confessarii, potest, & debet tacere crimen, ex quo illud ei obvenit. R. enim neg. conseq. Quia detrimentum Confessarii est ei voluntarium; detrimentum autem voluntarium non excusat a præcepto integritatis physice confessionis.

112. Inq. 6. Quomodo remittantur peccata in casu integritatis moralis licite? R. Peccata confessæ remitti *directe in vi absolutionis*; peccata vero ommissa *indirecte ex conditione gratia*, Cum enim gratia sit

N in-